Pax Christi.

Dilecte Jacobe. Quae tua sit mens ex binis tuis litteris satis intelleximus. Jucunda tibi et tolerabilis vita est in Academia Juliana: et tamen si Varlemanni loco esse possis, diffugere nolis ventrandi senatus autoritatem. Breviores igitur tuas recitavi Dn. Cos. Danieli, qui rem omnem cum Dn. Christiano Stedingo communicavit, atque in ea sententia perstitit, ut possis aliquando uberiorem operam dare Ecclesiae, et patriae, id esse tibi largiendum, ut in theologiae studio, annum unum, et item alterum commoreris, perducas inchoata doctrinae laudabilis miracula, ad ipsos usque umbilicos. Credo D. Pezelium et Dn. Wilhelmum Clariss. Cos. hujus sententiae autores fuisse, qui malint Ecclesiae suae idoneum Ministrum dari: quam Scholae nostrae [illegible] Magistrum. Quid facerem? cessi Majoribus, et in ea sententia quae plus habere visa est dignitatis placide acquievi. Tua parens, cujus respectu+ negotium potissimum, maluisset mediocri loco videre te in

ut rem praesentia: quam exspectatione sortis amplioris in posterum pendere. Tu vero fac ut bono hoc animo magno feras, illud considerans tuam juventutem studiis gravioribus quam haec sunt nostra, divinitus destinari. Ad musicae artis professionem Scholarchae unum nominarunt, sed fama est eum ipsum Episcopi servitio exire non posse. In eo igitur si nobis non successerit: tunc istum Jostum Hofmeisterum quem commendas, adoriemur. Quare et posthac (si Deus volet) iterum scribam. Doct. Hesshusii graves cruciatus audio inditos. Deus faciat, ut malo suo coactus, intelligat, quas turbas Ecclesiae dederit, quam multos pios viros quam indignis modis afflixerit. Hanc gratiam si non assequetur miser ante emigrationem: pars ejus erit cum Hypocritis, illic ubi fletus est et stridor dentium. Sed haec ipsi curae sunto. Benefaciat Dominus justis ut laetentur omnes recti corde. Vale. Nam cudendum mihi hodie carmen est. Saluta Hofmeisterum. 10. Cal: Martij. CIↃ.IↃ.XXCII. Bremae.

Veddekinum miror nihil de suis rebus nobis scripsisse. Saluta et hunc et Scholtium, jubens [illegible] eos mihique charissimos.

Tui studiosus

Joannes Molanus

Juveni doctrinae et pi-
etatis laude ornato M.
Joanni Hildebrando [illegible]
in schola Julia quae

est

Helmstadi

Nr. 110.